

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke jede zweite Zeile freilassen!

Kaiser Nero hielt sich für einen großen Künstler und trat im Theater – zum Leid seiner Mitbewerber und Zuschauer – in Wettbewerben an:

Cantante eo ne necessaria quidem causa excedere theatro licitum est. Itaque et enixae¹ quaedam in spectaculis dicuntur et multi taedio audiendi laudandique clausis oppidorum portis aut furtim desiluisse de muro aut morte simulata funere elati. Quam autem trepide anxieque certaverit, quanta adversariorum aemulatione, quo metu iudicum, vix credi potest. Adversarios (quasi plane condicionis eiusdem) observare, captare² – infamare secreto, nonnumquam ex occurso maledictis incessere ac, si qui arte praecellerent, conrumpere etiam solebat. Iudices autem, prius quam inciperet, reverentissime adloquebatur, omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortunae; illos ut sapientis et doctos viros fortuita debere excludere; atque, ut auderet, hortantibus aequiore animo recedebat, ac ne sic quidem sine sollicitudine, taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia et malignitate arguens suspectosque sibi dicens. In certando vero ita legi oboediebat, ut numquam excreare³ ausus sudorem quoque frontis brachio detergeret; atque etiam in tragico quodam actu, cum elapsum baculum cito resumpsisset, pavidus et metuens ne ob delictum certamine summo veretur, non aliter confirmatus est quam adiurante hypocrita⁴ non animadversum id inter exultationes succlamationsque populi. Victorem autem se ipse pronuntiabat; qua de causa et praeconio⁵ ubique contendit. Ac ne cuius alterius hieronicarum⁶ memoria aut vestigium extaret usquam, subverti et unco⁷ trahi abicique in latrinas omnium statuas et imagines imperavit. Aurigavit quoque plurifariam⁸, Olympiis vero etiam decemiugem, quamvis id ipsum in rege Mithradate carmine quodam suo reprehendisset. Sed excussus curru ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destitit ante decursum; neque eo setius coronatus est. Decedens deinde provinciam universam libertate donavit simulque iudices civitate Romana et pecunia grandi, quae beneficia e medio stadio Isthmiorum die sua ipse voce pronuntiavit.

1 eniti – hier: trans.: (Kinder) gebären 2 captare – hier: einnehmen, für sich gewinnen 3 excreare – sich räuspern, ausspucken 4 hypocrita – Schauspieler, Heuchler 5 praeconium – Heroldswettbewerb 6 hieronica – Sieger bei den (heiligen) Festspielen 7 uncus = Haken 8 plurifariam – adv.: an vielen Orten